

יִמְנָה Quia omnes arcam aspicere debebant, ideo necessarium fuisse, ut recederent ab illa duobus millibus cubitorum. Eamque causam ipsa Scriptura indigitare videtur verbis: *Ut cognoscatis viam, qua incedendum sit vobis.*

§. V.

Sacerdotes ad ripam Jordanis pervenientes intrepido animo pedes in aquas rapidas immittunt, omnique metu ex animo ejecto paulisper progrediuntur, donec omnes portitores in alveo fluminis consistissent. Vix vero primi in aquam pedes intinxerant, cum aqua superior Sacerdotum pedibus calcata recederet, nec amplius consueto more profluens in cumulum assurgeret, in conspectu Sacerdotum & omnium Israelitarum. Inferior vero aqua sub pedibus Sacerdotum defluebat cursu ordinario, ut brevi temporis spatio omnibus Israelitis liber, & siccus transitus pateret. Non cedebat aqua nisi pedibus Sacerdotum calcata, quo DEUS docere voluit fideles omnes animi fluctuationes, quas incredula ratio suggerat, abjicere, & solo Dei promisso niti debere. Inde est, quod Josua expressis verbis dicat Sacerdotes intinxisse pedes in aquas vers. 15. & eorum pedes quievissent in aquis vers. 13. &c. Hoc suadere videtur vox טָבַח, quæ intingere & immergere significat, ut apparet ex versione LXX. ἐβάπτισαν εἰς τὸ μίσητον τῆ ὑδατος τῆς Ἰορδάνου. Ex voce vero βάπτισιν inter omnes notus baptismus sive immersio derivatur. Eundem sensum vox Hebræa habet, 2 Reg. V, vers. 14. ubi de Naamane dicitur וַיִּטְבַּח descendit & intinxit se in Jordane. Locus Jordanis, in quo Sacerdotum pedes intincti sunt, est ceterior ripa fluvii, in quam primum descenderunt. Hoc enim volunt verba: *Cum venirent portitores arce ad Jordanem & pedes Sacerdotum portantium arcam intingerentur* הַמֵּי בַקֶּצֶה in termino aquarum. Ubi necessario ceterior ripa intelligitur. Et hic etiam est locus, in quo Sacerdotes substiterunt, uti vers. 8. docet: *precipias Sacerdotibus, qui arcam fœderis portant, dicendo: Quando veneritis הַיַּרְדֵּן מִי קֶצֶה עַד ad terminum aquarum Jordanis, in Jordane subsistatis, nec hic alia a priori, quam ingressi sunt, ripa intelligenda erit. Quod enim vers. 8. præceptum est, id vers. 15. exequuntur Sacerdotes. Nec aquæ prius in alveo Jordanis defecerunt, quam Sacerdotes quievissent: Et fiet, בְּנִיחַ cum quieverint pedes Sacerdotum, qui arcam Domini portant, in Jordane, tunc excidentur aquæ v. 13.* Si itaque opinari velis Sacerdotes in ulterio-

ori